



RMIr. III.

574

DISPUTATIO MATHEMATICA
ex
ARCHITECTURA MILITARI ^{R.M.Dr.} III. 514.
DE
PRAXI BELLICA
OFFENSIVA
&
DEFENSIVA,
Quam
Domino Exercituum Clementer Auxiliante
&
P R A E S I D E
M. JACOBO SCHNITZLERO
Facultatis Philosophicæ Adjuncto & Gymnasii
Metropol. Transylv. Rectore,
In Electorali *VVittebergensi* Academia
publicæ Eruditorum Ventilationi
subjicit
GEORGIUS FRIDERICUS STROBELIUS,
Sulzburgô Palatinus.
In Auditorio Minori.
Ad diem 3. Septembris Horis Consuetis.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKEN, M DC LXII.



M. ACADEMIA
KÖNYVÁRA



PRÆLOQUIUM.



Im *vi* quandoque repelli non tan-
tum posse sed etiam debere cum
necessitas cogit , principium
practicum est naturâ nobis im-
plantatum. Cùm enim charius
nihil sit quam conservatio sui,
quippe quam tota natura inten-
dit , ulterò patet vim imminen-
tem rem quamvis pro ratione sibi competente declina-
re. Utinam prima omnium nostri Mater in paradi-
so primam vim retudisset nobis usque adeò non opus es-
set vim vi repellere. Hinc prob dolor ! omnium bello-
rum, dissidiorum , prima origo, prima scaturigo. Quæ
admodum autem natura plurima subsidia & media
contra vim illatam nobis exhibet ; ita etiam Ars, Na-
turæ æmula , idem præstat & naturam quasi perficit,
ut ita hodierno tempore in hac calamitate felix cens-
atur princeps ille qui in tempore media ista prudenter
considerat & ciuitas illa beata dicitur quæ tempore
pacis de bello cogitat ; tela siquidem prævisa minus no-

cere queunt. Ob hanc rem Munitiones inventae sunt
Urbes variis praefidiis instructae sunt non eodem quidem
semper modo quam eodem fine. Olim quidem
Veteres crassis iisq; sumptuosissimis muris Urbes suas
circumdabant, in quibus, vi externâ imminentे de-
fensores constituebantur hastis, clavis, securib⁹, bipen-
nibus aliisq; Instrumentis bellicis simplicioribus stipa-
zi, pro indeole illius seculi; quibus ut et lapidibus de-
iectis et c. impetus hostiles eludere ac propellere satas
gebant. Postmodum verò in angulis Turres qua-
dratas et demum rotundas ultra murum excurrentes
instaurabant, donec deinceps propugnacula rotunda
magno cum apparatu aut etiam pompa introducta fue-
runt. Omnes verò isti modi Urbes muniendi et se de-
fendendi comprehensi sunt imperfecti, donec hodierna
fortificatio omnem sustulerit errorem, utpote quæ ad
summum fere gradum usque perducta est, quā nempe,
abolitis rotundis muris assumptæ sunt figuræ angula-
res, quæ in vallo Terrā constante singula munimenti
puncta stringere et ab iisdem stringi commodè possunt.
Ob quod etiam hic modus Urbes muniendi meritò
perfectissimus judicatur et hodie à peritissimis Arti-
ficibus necessariò usurpatur, siquidem defensio uti o-
mnium optimè ita contra offensio impeditissimè proce-
dit. Munimentum autem illud jure merito præstan-
tissimum censemur quod expeditissimè defendi potest,
quan-

quanquam & offensores suis non destituātur commo-
ditatibus. Nam prostant variæ commoditatis, quibus
locus etiam munitus in angustias redigi potest. Ulti-
enim defensio contra hostem; ita & offensio nonnun-
quam necessaria est Principi, qui subditos rebelles vel
alios quoq; hostes Munimentis se includentes compre-
scere debet. Hinc praxis ista bellica, quæ offensiva
& defensiva vocatur hodie maximè celebratur, de-
quâ & nos hâc vice exercitii gratiâ certas quasdam
quæstiones publicè proponemus. DEUS clementissi-
mus largiatur nobis pacem & omnia dissidia benignè as-
 verruncet !

Quæstio I.

Quid in praxi offensiva ante omnia consi- derandum est

PRæsupponimus hic quod aliâs verissimum est & apud po-
liticos demonstratur, Bella legitimè susceptra esse licita
non tantum defensiva sed & offensiva, quibus tamen eti-
am sâpè libertas defenditur. Si enim certum & explo-
ratum sit hostem irruptionem in alterius territorium aggredi,
periculum certè erit in mora adeoque longè melius prævenire
quam præveniri. Utinam hoc fieret contra hostes nominis
Christiani non sanè tot victorias barbarorum cum dolore per-
ciperemus. Cum verò in cali casu pars offensiva necessariò in-
structa else debeat pro obsidione munimentorum, siquidem ea
Defensionis loco à parte Defensiva adhibentur & hodie pri-
mum & ultimum praesidium existunt; idèo etiam Architectura
Militaris hic potissimum respicit Munimentorum eversionem
& Conservationem, prout & nos respectum ad ea habentes hic
verba faciemus. Itaque dum hostis jam impetendus est muni-
men-

mento inclusus (nam de pugnis & velitationibus campestribus
multa hic dicere non est animus , sed alibi) consilia à paucis
sed piis atque probatis consiliariis colligenda sunt & quidem
ab iis, qui superiores sunt, ne videatur authoritas eorundem vel
negligi vel contemni. Dum jam Conclusio unanimiter facta est
de Urbe obsidenda, claram valde teneatur hoc consilium , & nul-
lis aliis communicetur personis prorsus, vel vix uni atque alte-
ri, cuius tamen fides quam exploratissima est.

Ut porro id quod in animis conceptum est effectui com-
mode detur opera danda ut omnes circumstantiae Urbis explo-
rari queant, qualis Urbis situs, quanta copia militum , robur
propugnaculorum eorumque distantia ab invicem, Figura mu-
nimenti, commeatus, divitiae, potentia ? Unico verbo : Viden-
dum ut tota fortificatio quoque prætextu cognoscatur. Ad
hoc negotium perficiendum constituntur Exploratores , qui
longè aliud simulando ingrediuntur Urbem, omnia lustrant,
notant & observant, sed cum maximâ cautione ; cave enim si
deprehendaris. Quod si forte tutum non sit alio modo hoc
præstare, saltem circumambulando per passus notari potest di-
stantia propugnaculorum, itemque crassities valli ambulando
per portam &c. Omnium optimum autem erit, quod tamen ra-
tius contingat, si Fortalitium cum partibus suis ex arte Archi-
tecticè descripsum & delineatum quoque modo acquiri
possit. Ibidem enī tota figura ejusque fortificatio simul &
semel uno obtutu quasi videri potest.

His jam cognitis miles conscribendus necessariō, nisi is an-
tea in promptu sit, ubi quidem alia longè intentio simulanda,
quasi huic vel illi principi, confoederato, copiae auxiliares com-
municandæ, vel quasi alii Urbi exercitus imittendus sit, ut eō se-
cūrior & impariā hostis ille, ad quem directè scopus spectat,
reddatur, & tandem maximo suo cum damno frustra serō sapi-
at. Huc vero bursa ære onerata pertinet, utpote quod non tan-
tum aliarum rerum gerendarum sed maximè etiam belli ner-
vus est. Hoc nisi adsit princeps militem coget in suimet per-
misiōē. Tandem etiam omnia atque singula Instrumenta belli-
ca, quan-

ea , quantum quidem opus est & quot pro ratione circumstan-
tiarum requiruntur ut & alia requisita quam plurima in prom-
ptu debent esse , ne quis jam ante Urbem in ipsa obsidione oce-
cupatus prater jacturam multorum sumptuum & pudorem
magno prelio & damno mercetur atque eadem cum publica ex-
plosione & maximo obfessorum hostium honore solvere coga-
tur .

Quæstio II.

Quomodo Castra bellica se habeant?

Castra nihil aliud sunt quam certæ circumvallationes
(propriè loquendo ex arte. Vid. Q. seq.) in campo ideo extructæ.
ut milites & totus exercitus commode quiescere atque hostilem
potentiam , si accedat , facilius eludere possint. Suntque pro
diverso & vario scopo quoque diversa , potissimum vero tri-
plicia ; *Temporanea* , *Strataria* & *Sustentoria*. *Temporanea* di-
cuntur ita quia brevi tempore durant , utpote quæ ex tempore
construuntur & mox iterum deseruntur , dum scilicet exerci-
tus in ulteriori expeditione occupatus est. Hęc ipsa castra
diversis in locis possunt extrui pro ratione necessitatis , dura-
jam miles conscriptus ad alia loca & in primis hostilia expedi-
tur , & metus est contrarium exercitum imperum ex impro-
viso facturum. Tali occasione in ipsa expeditione noctur-
no tempore exercitus quiescens non relinquit nudus sed qua-
licunque circumvallatione circumdatur , ne hostis insperato ac-
cedens exercitum confusum adobruat & una eum præda ante
tempus immaturam victoram deportet. Circumvallatio ista
citò absolvī potest si etiam pars tantum militum manus admov-
eat , & soler iterum exercitu ulterius progrediente demoliri
ne forsan hosti ex altera parte domicilium exhibeat. Pro
hoc negotio alià ratione expeditissimè absolvendo Johannes
Faulhaberus in sua Schola Ingenaria Aratrum quoddam
Bellicum monstrat , quo cum Equis vel aliis Jumentis ad-
iunctis , uno ductu circum circa vallulum quoddam unā cum

Coffula fieri poscit; an verò hoc unquam de facto quisquam demonstraverit, ego dubito, ipsa tamen inventio perqvām ingeniosa est & sagacitatem haud vulgarem sapit.

Castra Strataria dicuntur ea, in quibus milites cum omni apparatu bellico aliquandiu strata sua obtinent, quæque tam citè non dissolvuntur. Unde facile patet, hæc castra unicè à stratis sic dici. Extruuntur autem castra strataria majori diligentia quā Temporanea, ut si opus sit, hoste validiore forsitan impetum faciente, aliqualiter exercitus castris inclusus se defendere possit donec residui milites vel copiæ auxiliares superveniant. Hinc munitiunculæ campestres passim intermiscentur lateribus, tūm ut milites ibidem excubias agant tūm ut castra ipsa eò munitiora existant.

Castra Sustentoria sunt ea quæ præsente jam in propinquuo hoste, ipsi in oppositum extruuntur, & pro diversa belli mora nunc diutius nunc brevius durare possunt. Hæc ipsa castra ita fieri debent ut probè respiciatur ad potentiam alterius partis adversæ, ut, si forte opus sit, ferociæ ejusdem exinde sufficienter resisti queat.

Singula hæc *Castra* ita comparata semper esse debent, ut respiciant hostium actiones, machinationes, propinquitatem, potentiam &c. ac instituantur juxta partes suas in quacunque figura, ita quidem ut loco diligenter explorato, antequam totus exercitus accedat, ab Ingeniario mensuretur area tanta, quantâ pro capiendo exercitu toto opus est, ubi deinceps Supremo Generali, Præfectis, Capitaneis, Tribunis & omnibus militibus cuiuscunque ordinis, ut & reliquis rebus singulis in bello necessariis, loca sua assignantur, ita ut dum accedunt, decenti ordine quivis sedem suam sibi competentem ingrediatur sine confusione ulla. Facto ingressu circumvallatio sive seps castrorum circumducitur. De quâ seq. questio. Quod porro specialem cujusque loci designationem pro diversis personarum gradibus, itemque pro re tormentariâ attinet; Videantur ea singula cum schematibus in Manuali Archit. Milit. Celeberr. Mathematici, nostri, Ampl. atque Excell. Dn. Nottnagelii Præcepto.

ceptoris nostri optimè meriti, nostrum enim institutum
hæc singula adjicere non permittit. Debent etiam hic
semper exploratores emitte sive apertè sive clàm, quocunq;
prætextu, ut omni tempore conatus hostiles, quantum fieri
potest, constent.

Quæstio III.

Quid sit Seps Castrorum & quomodo se habeat?

Seps castrorum nihil aliud est quam circumvallatio,
quâ milites & omnis apparatus bellicus in castris latitantes,
circumcinguntur securitatis & commoditatis gratiâ. Gal-
licè dicitur *Trenche*. Hanc circumvallationem præced.
Quæst. pro definitione Castrorum adhibuimus, si ex arte
sentiendum sit. Quemadmodum enim civitas aliqua eti-
am sibi sufficiens, itemque Tormentis ut & aliis rebus
bellicis instructa sit, si tamen vallo cincta non sit, minus re-
ctè secundum artem dicitur Munimentum; ita & castra im-
propriè tantum talia sunt, si non circumvallationes habe-
ant. Loquendum interim sæpe cum vulgo & sentiendum
cum Eruditis. Hæc verò Seps castrorum vel fit simpliciter
in campo, secundum triplicia castra præced. Quæst. inti-
mata; vel fit tempore obsessionis ante Urbem. In campo
simpliciter instituitur secundum figuram quam Ingeniaris
estimavit cōmodissimā pro ratione circumstantiarū, circū-
circā, non semper tamen æquali robore, sed debilius in
illis partibus, ubi hostis vel per Aquam vel alio modo à
natura impeditur. Ante Urbem ob sessam Seps castrorum
fit in illis locis tantum ubi castra versantur, & tam hic
quam illie variæ munitiunculæ campestres adornantur, ut
sunt, munitio[n]es stellatæ, itemq; Campestres semipugnacu-
lare[s], Reductus &c. ubi linea qua[nta] intra easdem est loco

Cortinae quasi Linea continuationis, Linea vero circa Urbem intrinsecus Linea communicationis vocatur. Vid. Excell. atque Ampliss. Dn. Nottnag. loco citato.

Quæstio IV.

Quid & quotplex sit Munitio Stellata & quomodo extruatur?

Munitio stellata nihil aliud est quam Munitio Campestris minor faciebus longinquis, vel, quod idem hic loci, lateribus suis ita diducta ut extrinsecus concurrent & formam acutangularem constituant instar stellæ ferè apparentis, sive prout eadem à pictoribus repræsentantur. Hujus operis extructio uti minus sumptuosa ita etiam compendiosa est, & solet plerumque in sepibus castrorum sive circumvallationibus vel alibi ubi subitanea defensio in campo fieri debet institui. Est vero Munitio Stellata vel Quadrangularis vel Quinquangularis, raro Sexangularis. Etsi enim non tantum Sexangularis verum etiam Septangularis, Octangularis &c. in se facilè esse posset, tamen id in praxi militari observari nec debet nec facile potest. Evanscitur enim usus & Scopus earundem si magna figura assumatur, qui est ut citò extruiri & paucò milite defendi possint. Quod ipsam jam constructionem attinet, pro Quadrangulari Munitione stellata fiat per occultas lineas Quadratum, cuius latera singula dividantur bifariam æqualiter, ac in medio lateris occulti, quod monstrat facta divisio, introrsum fiat perpendicularis occulta per unam quartam dimidiū lateris, idque eodem modo in reliquis quoque lateribus, & offerent se quatuor puncta, quæ singula cum angulis Quadrati occulti per lineas rectas conjungantur, eritque hæc ratione Munitio Stellata Quadrata secundum lineam fundamēti, sive Ichnographicè, absolute. Pro Quinquangulari fi-

at

at Quinquagulū occultū, cuius iterū singula latera dividantur
æqualiter, & ex punctis mediis demittantur perpendiculares
introsūper unam tertiam dimidii lateris, hæc puncta si
conjugantur cum angulis pentagoni occulti, aderit ich-
nographicè Munitio Stellata pentagona desiderata. Quo-
modo autem Quadratum itemque pentagonum conficien-
dum sit, ex Geometria nullo fere negotio sciri potest. Quan-
titas harum munitionum, ut & perpendicularis Valli sectio
(profil) itemque sequentium quoque variabilis esse potest
pro ratione circumstantiarum, unde nos nil certi determi-
namus. Reperiuntur quidem apud peritissimos Artifices
certæ Regulæ & limitationes, ad quas tamen prudens Ar-
chitectus simpliciter non est alligatus.

Quæstio V.

Quid & quotuplex sit Munitio Campe-
stris Semipropugnacularis &
quomodo extrua-
tur?

Munitio Campestris Semipropugnacularis est quæ ad de-
fensionē sui dimidiis tantū propugnaculis prædicta est, ideo
ut citò extrui & etiam paucō milite defendi posit, vel eti-
am alia loca defendere queat. Nemo hic sibi fingere vel
imaginari debet nimiam debilitatem & angustiam harum
Munitiuncularum, tūm enim unumquodque perfectum
judicatur, quando omnia ea habet quæ habere debet. At
talis munitio rectè adornata et si aliqualiter sit angusta &
debilis, habet omnia quæ habere debet. Uti enim magna
Mumenta ita & parva quandoque necessaria sunt. Sunt
vero hæ Munitiones Campestres Semipropugnulares vel
Triangulares vel Quadrangulares, carumque constructio

sine ulla difficultate absolvitur hoc modo. Pro Trianguli fiat Triangulum æquiangulum, in quo pro Linea Capitali sumatur unica tertia lateris, iterumque pro linea colli pariter unica tertia, & pro Ala unica sexta pars in singulis latéribus. Deinde Alæ in extremis punctis conjungantur capitalibus per lineas rectas, aderitque Munitio Campestris Semipropugnacularis Triangularis. Pro Quadrangulari fiat Quadratum, cuius latera rursum dividantur in tres partes æquales & pro capitali sumatur una Tertia, itemque pro linea colli una tertia, ejusdemque dimidium pro Ala. Connexis tandem per lineas rectas his punctis prodibit Munitio campestris Semipropugnacularis Quadrangularis. Deinde fiunt etiam Munitiones tales semipropugnulares in Quadrato non exacto sed quod alterna latera tantum æqualia haber. In hoc casu latus minus dividitur in tres partes, & una tertia dat Capitalem, itemque una tertia collum & una sexta Alam; Facies & hic & in præcedentibus modis ultrò se offert. Hæc forma similis est operi cornuto & solet usitatissimè atque utilissimè ante pontes, vias angustas &c. prout tutelâ adhiberi, ne quisquam sine indulitu eorum, quorum interest, transire queat, maximè tempore belli. Talis Munitio etiam hic ante Wittebergam nostram ad ripam Albis videre est, quæ olim Ponti Albiaco præstructa fuit eundemque inclusum quasi tenuit; nunc verò cum pons ille injuriâ temporis interierit, functione hâc Munitio ista caret donec forsitan pons recens de novo instituetur, quod ut fiat, multi optant & hactenus optarunt.

Ulterius etiam nonnunquam in latere transverso, quod juxta lineam rectam extensum est in medio adhuc per unam tertiam erigitur perpendicularis occulta, & ex punto lateris medio ad distantiam unius tertiaræ ad utramque partem latus absinditur, quæ sectiones duo exhibent puncta, Hæc cum termino linea perpendicularis antea extructæ extremo per lineas rectas conjunguntur, quæ sè instar facierum habent,

bent, & sic quoad hanc partem hæc Munitiuncula formam
fere forpiculæ geminatae obtinet.

Aliæ etiam sunt Munitiones campestres quadratae,
quæ potissimum ante vias & pontes collocantur, ac du-
tantum eaque integrâ propugnaculâ obtinent & ex opposi-
tâ parte duas facies more antea tradito. Hæc omnia
cularis schematum inspectio multum illustrat; ideo singu-
la vid. in Manual. Arch. Milit. Excell. Prof. nostri Dn. Notni
Præcept. longè meritissimi.

Hic non incommodè meminisse possumus Munitione-
num campestrium cum integris quatuor, quinque vel sex
propugnaculis; quæ longè validiores, majores & capacio-
res sunt, quam illæ, quas antea descripsimus, ac instituun-
tur tum maximè, si hostis potentior furiösus sit, atque im-
potentiorem partem adobrûere nitatur. Hæc ratione ei-
nem tanquam ex munimento aliquo ad tempus defensio
procedit & vis impetuosi hostis facilius dissipatur. Svaldent
etiam Artifices Munitiones tales campestres adornandas esse
super montem Urbem in propinquâ vallè habentem. Loca
enim ea quæ in vallibus sita sunt per se inepta prorsus sunt
ad fortificationem omnium confensu. Si jam ex tali muni-
tione defensio suscipiatur, tam hostis Urbem nec quic-
quam aggredi poterit nisi primò munitionem super mon-
tem existentem occupaverit. Quod ubi fit, jam totam Urbem
hostis insuâ potestate habet.

Quæstio VI.

Quâ ratione Reductus (gall. Redoute) se
habeant?

Reductus sunt munitiunculæ campestres exiguae ad
tempus tantum constructæ ideo ut excubiatores tutam ha-

beant stationem, vel etiam ut iisdem operarii in Adductibus laborantes protegi commodè possint. Habent verò Reductus semper figuram Quadratam, eamque vel integrum vel dimidiā. Si integrum, vocantur Reductus quoque integri, & unum latus quatuor, quinque vel sex & septem perticas in longitudine comprehendit, una cum via aliqua in uno latere, per quam ingressus fit, quæ minor si tormenta nulla inferantur; Major si eadem ibidem usurpari debeant. Quod si semiquadrata figuram tantum obtineant, vocantur Reductus dimidiī, & construuntur, si integrum Diagonium sumatur in linea recta & ex medio per quantitatem dimidiī Diagonii erigatur perpendicularis, eadem enim quantitas ad latera sumpta monstrabit puncta, quæ conjuncta cum perpendicularis extremitate per lineas rectas, ostendent Reductum dimidiū quoad lineam fundamenti, seu ichnographiam. De Orthographia & Scenographia videantur Architecti, *Matthias Dögen, M. Adamus Freytag, Faulhaber, Magirus, Schildknecht, Cellarius, Bäcklerus* & *Iijg, imprimis verò Amplissimus Dn. Nottnag.* loc. cit.

Quæstio VII.

Quomodo Agger tormentarius cōparatus sit?

Agger tormentarius nihil aliud est quam Terra exaltata ante Munimentum s. Urbem, cui tormenta imponuntur ut majori commoditate & utilitate in perniciem loci obsessi displodi queant. Dicitur gall. Batterie. Fit hæc Terra exaltata modò in majori modò minori quantitate nunc propinquius nunc remotius ab Urbe, ut tormenta ab obsessis non conspici ac impediri queant, ita quidem ut tot foramina quot tormenta imponenda sunt relinquantur. Superfissam Introitus sit in latitudine tormenti & subter tormenta asseres figuntur ut èo facilius post displosionem cedere queant. In inferiori denique parte in fundo camera solet esse pro capiendo pulvreye pyro.

Quæstio VIII.

Quomodo Adductus seu Accessus (gall. Ap-
prochen) instituendi sint?

Ad-

Adductus sunt fossæ in obliquum extructæ ideo ut viam occultam eamque tutam præbeant pro appropinquatione ad vallum Munitenti. Fiunt Accessus operosè admundū per lineas non directas sed obliquas & quidem ita ut Terra versus Munitentum semper elevetur, ad quod negotium opus est velaminibus (*gall. Chandeliern*) quæ varia sunt. Necessum etiam est ut Reductus vel Munitiones campestres exiguae ad latera construantur, ad repellendas obfessorum excusione, in quo casu Reductus quoque, ut alias etiam, *gall. Corps de garde* vocatur, quasi dicas *Corpus excubitorum*. Dum jam perventum est per accessus prope fossam munitenti usque, proflit unus, qui illico Terram exaltat ut inconspicuus sit donec ad fossam præcisè perveniat, quod vulgo *sappieren*, *sappierungen* vocant, ubi ubique Corbes loricales usum prolixum obtinent.

Quæstio IX.

Quomodo Vineæ (gallerien) adornentur?

Cum per accessus jam ad ipsam fossam perventum est, apparari debet via aliqua ultra fossam super aquam, quas vias vineas antiquitùs dictas, hodie *gallerien gall. Schirmdächer germ.* vocant. Requiruntur verò ad hoc negotium fasces (*fasnen*) quibus fossa implenda est vel similis materia, & pro vinea tot juga quot necessitas requirit. Deinde dum vinea jam ultra fossam deducenda est continuè per tormenta, globos ignitos & granatas obfessi offendendi sunt ex campo, ne vinearum molitio impediatur donec ad ipsum vallum ultra fossam perveniat, ubi domuncula sacramentaria ut vocatur, *vulgò germ. Sacrament Hänzlein* tutam sedem concedit.

Quæstio X.

Quâ ratione Cuniculi (Minen) præsumendi?

Dum cuniculi instituendi sunt simulantum quasi nunc hic nunc illic velint præsumi, ne obfessi cuniculos reciprocos contraferre possint. Fiunt verò communiter in mediâ facie propugnaculi, ubi cameræ Pyriæ imponitur pulvis pyrius in aliquot tonnis, quæ deinceps benè clauditur ac ob-

skipatus relictâ tantum rimula ut pulvis accendi possit. Deinceps omnibus ad impetum tumultuarium præparatis accenditur pulvis pyrius vallo inclusus atque per ruinam valli Urbs ab hostibus capitur, nisi depellantur vel per recessus de novo defensio instituatur.

Quæstio XI.

Quid in praxi defensiva ante omnia considerandum?

Urbs quæ novit hostilitatem aliquam intercedere sibi cum principe aliquo quocunq; modo , dum videt eundem conscribere militem vel apparatum bellicum facere etiamsi aliud simuletur,tamen credere prorsus non tenetur , quin potius omnibus viribus se contra parare debet, ut ita hostis pusillanimis reddatur atque ab obsidione absterreatur. Porro colles ante civitatem , si qui sunt , demoliendi vel per præmunitionem includendi sunt, itemq; granaria , armamentaria &c. diligenter lustranda & si alibi deficiunt viriliter reparanda sunt. Deinde periti Architecti, unus vel alter, aliqui strenui milites bello exercitati , quorum tamen fidelitas comperta , quantum fieri potest, ad seiscendi sunt. Tandem denique querenda est amicitia cum alio principe, qui invascente obsidione eandem dissolvere atq; hostes depellere possit.

Quæstio XII.

Quomodo defensio contraria obsessorum se habeat?

Prolixiores hic deberemus esse sed chartæ inopia non permittit. Itaque unico verbo , obsessi semper ad machinationes hostium respicere debent, & si vallum non satis editum sit, erigendi sunt eo in loco qui ab hoste nimis offenditur, aggeres tormentarii reciproci (*contrabatterien*) vel si totum vallum non satis editum sit propter colliculos circumiacentes, fieri debent colles propugnaculi (*Katzen*) vel colles cortinæ (*platteform*) siq; hostis accessus facit, instituendi sunt accessus reciproci (*contr'approchen*) si cuniculos ; obsessi cuniculos reciprocos (*contra minen*) facere debent. Deniq; ultimò Regressus (*Rerrenchement*) instituendi sunt, ut ita de novo defensio procedat.

SOLI DEO GLORIA.



Rome III
514